



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Abbe, qui in charitate à monacho suo admonitus carnes comedit,
cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Quibus ille respondit: Tres obulos habeo, emite ex eis cuneos, & comedite, quia nihil amplius habebitis; fidemque habens in Deo, & in sancto Iacobo, subjecit: Quinque marcas domi habeo in cista mea, & clementia noua, quibus limina petam S. Iacobi, non vobis dabo illam pecuniam: in die sancti Stephani prefecturus sum, & ante ortum diei a vobis recessurus. Mirantibus eis verborum constantiam, duos illi compedes imposuerunt, & in fornacem illum mittentes, octo viros nocte illa ad custodiam ei deputauerunt, quem semel, ac secundum interrogantes, utrum adhuc ibi esset, & ille tot vicibus respondisset, etiam adhuc sum: his tertio eadem sciscitantibus, nihil respondit, quia virtus fidei iam illum clausa fornace cauxerat. De spe in superioribus multa dicta sunt, virtutem vero charitatis, sequentia declarabunt.

CAPVT VIII.

*De Chas.
ritate.*

Abbas quidam ordinis nostri, monacho suo infirmo præcepit carnes manducare: ille inobediens, licet inuitus, Abbatii respondit, dicens: Ego vos rogo in charitate eadem, ut mecum illas comedatis. Qui statim deprecanti consentiens resedit, morsellum de scutella monachi tulit, & comedit. Sequenti die, si bene memini, in ecclesiam, ubi homo a dæmonio vexabatur deuenit, rogatus a circumstantibus, ut dæmonem adiuraret, in haec verba prorupit: Adjuro te immunde spiritus in hac charitate, quæ pridie propter monachum meum carnes comedisti, ut ex eas ab hoc homine: qui mox ad idem verbum exiuit, & fugit, ac si charitatis incendium sufferre non posset. Quantum Deo charitas placeat, ex inobedientia plenius ostenditur.

CAPVT IX.

*De inobe
dientia.*

Alius quidam Abbas, cum haberet monachum infirmum, ut ad recuperationem virium, carnes comederet præcepit: sed ille pertinax nimis, præcipienti non acquieuit. Ut autem Deus ostenderet meliorem esse obedientiam, quam stultorum victimas, inobediens monachus mox in rabiem versus,